



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē**

**Barbosa, Agostinho**

**Lipsiaē, 1697**

Cap. XXV. Dictum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)



## CAP. XXV.

## Dictum.

## Axioma I.

DICTUM unius, dictum nullius, *l. jurandi 9. C. de testib. cap. cum dilecti 18. in fin. de accusat.* Thom. de Thomasset, in *floribus legum*, reg. 307. Mascard. de *probat. concl.* 343. n. 30. Farinac. in *praxi criminali part. 4. conf.* 60. n. 15. Et vox unius, vox nullius, *cap. veniens 30. in fin. de testib. cap. cum a nobis 28. eod. tit.* Ludovicus Rodolphinus *variar. quæstion. lib. 2. quæst. 51. n. 41.* Thomas de Thomasset, reg. 307.

## CAP. XXVI.

## Dies.

## Axioma I.

Dies quoties in obligatione non ponitur, tum pecunia præsentis die debetur. *l. 41. de oblig. l. 14. de Reg. Jur. & exigi potest, l. 213. de verbor. signif.* quod cum aliquo temperamento temporis intellige; nec enim cum facio, ut loquitur *l. 105. ff. de solut.* creditor adire debet, sed expectabit aliquod spatium temporis, quo solutio ejus, quod debetur, commodè fieri possit, quomodo temperamentum illud interpretatur Justinianus in *§. ult. Inst. de inut. stip.* Phil. Matth. ad *d. l. 14. ff. de R. I. promissio*: ich will es dieser Tagen entrichten/ intelligitur de biduo *l. 109. ff. de V. O.* ex æquitate tamen ad octo vel quatuordecim dies extenditur. Schneid. in *§. 2. Inst. de V. O. n. 9.*

## II.

Dies incertus conditionis instar est. *l. 12. §. ult. ff. de legat. 2. l. sufficit 56. de cond. indeb.* Intellige scilicet, quando dies adeo sit incertus, ut & illud sit incertum, an & quando venturus sit, veluti cum Titius consul erit. Quod si enim dies ita incertus sit, quem tamen venturum esse certum est, veluti cum moriar, tunc non erit instar conditionis, nec quicquam repeti potest. Cujac. lib. 13. observat. cap. 20.

## III.

Quoties dies certa hereditati adjecta, toties detracta temporis mentione hereditas censetur pure relicta. *l. 34. ff. de hered. instit.* quia hereditas ad tempus non datur, cum nemo pro parte testatus, pro parte intestatus decedere possit. *l. 7. ff. de R. J.* Ergo causa testati trahitur ad se causam intestati, ne utile per inutile vitietur. Hinc si Cajum heredem instituerim & post eum Mevium, uterque erit heres.

Limit. ut non procedat (1.) in milite *l. 19. §. ult. ff. de testam. milit.* (2.) si verba ad fideicommissum apta. *l. 77. ff. de hered. instit.*

## IV.

Quacunque ratione dies est incertus, si tertio adjiciatur, semper in ultimis voluntatibus actum facit conditionalem. *l. 9. C. de hered. instit.*

Ratio: quia sic potest non evenire *l. 75. ff. de Cond. & dem.* incertum enim est, an dies ante mortem heredis vel legatarii unquam in tertio sit extiturus. Ita ergo si Cajum heredem institue-

rim vel ei quid legaverim cum morietur Mevius, erit institutio seu Legatum conditionale. *Conf. l. 72. l. 75. §. 1. & 3. ff. de Condit. & dem.*

Limit: ut hinc aliud sit in stipulationibus, in quibus dies incertus non ita facit conditionem, quoad effectum. *l. 17. ff. de Condit. indeb.* quia in Contractibus spes conditionis ad heredes transit.

## V.

Quoties dies adjectus persona heredis aut Legatarii, toties pro conditione reputatur. *l. 75. ff. de Cond. & Dem.* quia si negotium in futurum eventum differtur, Exemplum est in *l. 21. ff. quando dies legat.*

Limita: nisi dies sit incertus, quando sit extiturus, hic enim nunquam deficere potest. *l. 9. C. de hered. instit.* Exemplum hujus est in *l. 79. ff. de Condit. & dem.*

## VI.

Quoties obligatio pure contracta, toties cessit & venit dies, i. e. statim peti potest. *§. 2. Inst. de V. O.* quia ubi causa obligandi præsens, ibi quoque necessum est statim sequi effectum.

Limita: ut tamen debitori temperamentum, aliquod solvendi relinquantur juxta *L. quod dicimus 105. ff. de solut.* quod arbitrio judicis erit determinandum: nam quoties in jure certum quid destinatum non est, toties ad arbitrium judicis recurrendum.

## VII.

Quoties obligatio in diem contracta, toties cessit dies, sed nondum venit, i. e. incepit deberi, sed nondum peti potest per actionem. *l. 44. §. 1. v. ex die. ff. de O. & A.* quia dies in gratiam debitoris est adjectus, minus ergo recte petitur quod debetur.

Limit. ut tamen ex justa causa possit ante diem cautio exigi de debito sua die exsolvendo.

## VIII.

Quoties conditio adjicitur contractui, toties nec cessit nec venit dies. *§. 4. Inst. de V. O.* quia conditio differt obligationem; quod enim est in conditione, illud non est in obligatione, *conf. l. cedere diem 213. ff. de V. S.* limitatio eadem est cum *ax. præc.*

## IX.

Dies in dubio semper censetur, favore debitoris adjectus. *l. 17. de Reg. Jur. §. omnis in fin. Inst. de verb. oblig. l. eum. 41. ff. eod. Welsenb. paratit. de condit. & demonstr. num. 2.* & ita debitor potest vel ipso die vel ante adjectum diem, quandoque velit, solvere, Obrecht. ad *titulum Codic. de plus petit. cap. 3.*

## X.

Dies semper est pars obligationis, sicut & solutionis. *l. 21. §. si tibi 4. ff. de act. empt. l. 1. §. 7. ff. de edend.*

## XI.

Dies transmissionem in contractibus non impedit. *§. sub conditione 4. Inst. de verb. oblig. l. in quantitate 73. §. in diem 4. ad Leg. Falcid. Hartman. Pistor. 1. quæst. 24. n. 62.*

## XII.

Diei quemadmodum duplex consideratio in jure usuque forensi Romano se offert: sic etiam duplex ejus usus & effectus erit observandus.